

Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos

365

ACTA OFFICIORUM

**PONTIFICIA COMMISSIO
AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS**

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Emi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. – DE NOVITIATUS INTERRUPTIONE

D. An sub verbis *quacumque ex causa* canonis 556 § 1 comprehendatur etiam transitus in aliam novitiatus domum, de quo in § 4 eiusdem canonis.

R. *Affirmative.*

II. – DE DIACONO SACRAM COMMUNIONEM MINISTRANTE

D. An Diaconus, sacram Communionem ad normam canonis 845 § 2 ministrans, possit et debeat in fine ritus benedictionem manu impertire iuxta Rituale romanum, tit. IV, cap. II, n. 10.

R. *Affirmative.*

III. – DE FILIIS LEGITIMATIS

D. An filii legitimati per subsequens parentum matrimonium habendi sint uti legitimi ad effectum, de quo in canonе 1363 § 1.

R. *Affirmative.*

Datum ex Civitate Vaticana, die 13 mensis Iulii anno 1930.

P. CARD. GASPARRI, *Praeses.*

L. S.

I. Bruno, *Secretarius.*